

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0383

0381

0387

0377

0392

0372

0432

0332

0482

0282

0882

Ende

Anfang

370

et mulieres mulieribus ministrant. Judaeos etiam nullo pacto
ad se ingredi in balnea sinunt, sed nos sustinent secum. Saepe
miratus fui, quae causa sit, quod sine molestia nos sinunt cum
eis balneare, cum tamen alias non amicabiliter nobiscum con-
versentur. Sed triplicem esse causam illius rei arbitror. Primo,
quia licet non amicabiliter nobiscum conversentur communiter,
quando tamen sciunt et intelligunt, se a nobis habituros lu-
crum et pecuniam, tunc non solum amicabiliter nobis conver-
santur, sed serviliter nobis subjiciuntur, et quia sciunt, nos
bene solvere balneatorem, libenter sustinent nos. Alia causa
dicitur, quod Sarraceni quodam tetrico foetore sordescant,
propter quem creberrimis baptismatibus et variis utuntur, nos
vero, quia foetore illo caremus, non curant, quod cum eis bal-
neemur. Quod Judaeis non indulgent, qui pejore foetore squa-
lent; libenter nos in balneis vident; sicut enim leprosus gaudet,
dum sanus communicat ei, ex eo, quod non spernit, et quod
sperat, se propter sanum melius habiturum: sic foetidus Sar-
racenus gaudet communicare cum non foetente. Tertia causa
est, quod nos sustinent secum, quia Machometus non prohibuit
eis communicare nobis in balneis, sed in ecclesiis tantum. Di-
cit enim in Alchorano suo, quod Christiani fuerint meliores
amici sui, quam Judaei, ut habetur Ny. Cu. Libr. 3. C. 8. Ideo
nos in balnea sua recipiunt, et non Judaeos. Hoc tamen non
allegatur pro laude Christianorum, sed pro magna confusione.
Ideo nullo modo nos intromittunt in muscheas eorum. Alia
causa est theologicalis, quia indecens est, Christianum cum
gentili balneari, et indecentias tales diabolo instigante libenter
admittunt. Quod autem (16 a) indecens sit Christiano cum
gentili balneari, patet primo ex eo, quia sicut Judaei non cunct-
tabantur Samaritanis, ita Christiani non cunctantur Judaeis nec
paganis. Ex eo etiam patet, quod Matthaei c. 18. Dominus
prohibet Christianum communicationem habere cum incorrigibili,
dicens: Sit tibi sicut ethnicus, i. e. paganus, quasi diceret,
fuge Christianum excommunicatum, sicut fugis paganum. Patet
etiam exemplo Johannis Evangelistae, de quo legitur in eccl-
esiastica historia, quod cum gratia lavandi se in Epheso balnea
introisset et in balneo Cerinthum haereticum vidisset, protinus
exiliit, dicens: fugiamus hinc, ne balnea super nos coruant,

